

Versiones.

QUARTA EXPOSITIO
Usque ad Vers. 32.

36. **Verf. 28.** *IN modico suades me*, Syriacus, *Mini-*
mo negotio persuades mihi, tamquam si
dicat Agrippa, paulo tuis rationibus vehementer
me urges, & parum distat, ut mihi persuadeas fieri
Christianum.
37. **Verf. 29.** *Paulus, Opto apud Deum*, Arabicus le-
git, & explicat, *Precor Deum*: omni affectu ex-
oro Deum; *in modico & magno*, id est iuxta ra-
dicem Græcam, per omnem modum ut id, quod
tibi, & alii est quasi persuasum, omnino persua-
deatur, & omne perficiatur, *fieri tales, qualis &*
ego sum, Syriacus. *Evasissent mei similes* in con-
stantia ac fervore fidei; *exceptis vinculis his*, Æ-
thiopicus sine vinculis meis; nam vincula ac labo-
res sibi soli volebat.
38. **Verf. 30. & 31.** *Exurrexit rex Agrippa*. & Festus
præses, & Bernice, & cum secessissent tamquam ad
partem, in deserto dixerunt ad invicem, nil culpæ,
aut criminis esse in homine illo.
39. **Verf. 32.** *Dimitti poterat, si non appellasset Casa-*
rem; sed stante appellatione bene poterat dimitti,
quia Paulus appellavit coactus ad evitandum suo-
rum inimicorum judicia, deinde Paulus per appel-
lationem intendebat suam libertatem ac dimissio-
nem, ergo si hæc daretur tota appellatio cessabat;
sed præses, & Agrippa Judæis maxime intende-
bant favere; & ne eos offenderent colorem appel-
lationis proponunt.

QUÆSTIO. V.

Vtrum Agrippa occulte fuerit Christianus?

40. **Superiori Verf. 27.** dixit Paulus regi Agrippæ
redis Porphetis; quæ verba vel fuerunt dicta
per interrogationem, ut volunt Oecumen Ganeus
Arias, vel sunt dicta per admirationem, ut expo-
nunt. Clarus Varabl. Cajet. tamquam si dicat Cre-
dis Prophetis, ut ego scio, quod credis, & de his
quæ ego dico, dubitas.
41. **Cui Agrippa respondet**; *In modico suades me*
Christianum fieri, id est, parum deest, modicum di-
stat, ut mihi persuadeas fieri Christianum. Sic ait
D. Cyril. Jerol. Cathec. 17. *Parum abest, quin me fe-*
ceris Christianum. Similiter D. Chrysost. homil. 16.
ad popul. Carthuf. Hugo. Cajetan. & alii.
42. **Ex quo Ganeus Salmeron existimant Agrippam**
fuisse Christianum, tamen hoc non stat, quia Paulus
dixit, *Opto apud Deum & in modico*, & *in magno*
non tantum te, sed & omnes, ergo ille adhuc non
erat, deinde cum Festus diceret, quod in Paulo ni-
hil morte, aut vinculis dignum est, ut in eis reten-
tus, ac proinde quod dimittendus erat, resistit
Agrippa, quod illud fieri non poterat supposita
appellatione, quæ nihil obstat, ut dixi in Expositi-
one ultimi Verf. 32.

QUÆSTIO VI.

Quare D. Paulus optabat, ut omnes essent sicut ipse

43. **IN illo supremo charitatis apice** volebat Pau-
lus non esse solus, sed volebat secum habere so-
cios, D. Augustin. tractat. 8. in epistol. Joan. ait
Audio Apostolum dicentem de visceribus charitatis

vellem omnes homines esse, sicut me ipsum. Quomodo
volebat omnes esse aequales, ideo erat omnibus supe-
rior, quia charitate optabat omnes aequales. Inde
maximè exaltatur charitas Pauli, quia, vehemen-
ter exoptat, ut omnes pietate, iustitia ac unitate
essent pares.

In primo terum molimine dixit Deus, *Germinet*
terra herbam virentem, & facientem semen, & li-
gnum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum;
Gen. 1. n. 11. Ad quid exprimitur iuxta genus suum
nam manifestum est, quod ligna ex sua naturali
virtute urgebantur ad germinandos fructus sui ge-
neris, & non alterius, cur ergo dicitur iuxta genus
suum, si virtus arboris est vigorosa, & perfecta pro-
ducit fructum valde pulchrum, & perfectum, quin
aliter, valde debilem, & macilentum. In illa pri-
ma rerum dispositione Summus artifex in cunctis
quod à suis creaturis exigebat, erat, quod in eis
ostenderetur virtus perfecta, & consummata, quan-
do producerent fructum sibi similem in omni vir-
tute, ad imitationem supremi divini Parentis ge-
nerat filium sibi similem, pulchrè D. August. q. 9.
ex utroque ait, *Qui habuit ergo filium totis similitu-*
dinis partibus congruentem? hoc est, unus unicum,
probus probum, bonus benignum, beatus beatum, ma-
ximus maximum, sempiternus æternum, habuit utiq;
ante mundum creatæ sobolis principatum, de quo re-
bus oriundis impertiebat exemplum, ut gignentium
germina suis respondere seminibus cogerentur. Hæc
fuit ordinatio divini Creatoris, ut unaquæque
creatura ad sui simile producendum ordinaretur,
ad exemplum æterni parentis.

Divina sponsa, seu Ecclesia decantat Cant. 4. n. 4
Deites mihi, sicut greges coniarum, quæ ascenderunt de
lavoacro omnes gemellis suis; ecce perfectorum mi-
litem fecundissimi greges, ut omnes factus di-
cantur gemelli, nullus dicitur unicus, ac primoge-
nitus, nullus solus ascendit, sed omnes sunt gemelli
omnes pares, ac associati veniunt, tamquam inde
maximè speciosi, ac illustrissimi apparent Gillib.
Abbas ferm. 27. in Cant. ait, *Ideo dicuntur gemelli,*
quia fides nullis gradibus separat, quos æque regene-
rai, alioquin qui nesciunt esse gemelli, effecti sunt nulli,
locum occupantes primum, jam nec habent novissimū.
Optimo jure à classe virtutis, qui in ea volunt esse
primi, excluduntur, cū illa sua intrinsecâ ratione,
ac charitate omnes vult habere pares, ac gemellos.

QUÆSTIO VII.

Quare D. Paulus vult secum omnes habere in ea-
dem disciplina excipiendi tamen vincula sua?

Ait Apostolus in præfenti Agrippæ, *Opto apud*
Deum, & in modico, & in magno, non tantum te
sed etiam omnes, qui audiunt me, hodie fieri tales,
qualis & ego sum, exceptis vinculis his. Optabat
Apostolus, ut omnes essent secum in eadem disci-
plina fide, & charitate, non tamen in eisdem vin-
culis. Cum vincula pro Deo sint valde pretiosa, &
multa, & magnæ estimationis, cur etiam illis non
optat communicari, & si vincula pro Deo, sint
multum pretiosa, non tamen omnibus, sed tantum
fortioribus, qui habent vim, robur, & valorem ad
eorum rigorem sustentandum, nam debiles & in-
cipientes facile deficient, & succumbent D. Chry-
sost. homil. 52. ait, *Vide gloriatur vinculis, qui pri-*
fert illa, sicut casenam auream, is ea non deprecatur,
& ne mireris, infirmiores adhuc erant, attem-
perabat illis sermonem. Sapientissimus Magister se
accommodabat discipulorum viribus.

Clamat

CAPUT XXVII.

47. **Clamat David ad Dominum Psalm. 25. num. 1.**
Proba me Domine, & tentame, ut renes meos, &
cor meum. Profunde sapientiam exorantis confide-
ra, ante emissam tentationem, exorat ad Deum;
Proba me; examina; & perpende vires meas, forti-
tudinem meam, D. Gregor Magn. in Job. lib. 2. c. 7.
ait, *Prius vires inspicie, & tunc, ut ferre valeam,*
tentari permittite. Unde deus sua infinita sapientiâ
semper permittit tentationem proportionatam
viribus nostris, ut ait ipse Paulus 1. Cor. 10. n. 13.
Fidelis Deus est, qui non patitur vos tentari supra id,
quod potestis.
48. **Secundo idem Chrysost. homil. 16. ait, Propterea**
dicat absque vinculis his, non ipsa vincula recu-
latis, abist, sed illius condescendens infirmitati,
quoniam ipse fsc illa diligebat, ut ambrosia mulier
monilia sua, dicit absque vinculis condescendens
illorum infirmitati (ut modo dixi) tum quia ipsa
vincula cum valde in se ipsis dura, ideo ad eorum
rigorem, & asperitatem, ut valde ardua sibi refer-
vabat, ut pretiosum, ac magnificum sui ornatum,
quo sponsa in die desponsationis suæ splendescit,
sic & vincula Pauli, nihil illi erat pretiosius, quam
pati pro Christo. Sic ait D. Martyr Ignatius epist. 7.
ad Tarfens. *Non horret nunc vinula, sed potius ut*
rem charissimam sibi reservavit.
49. **Accipe non vulgare expositionem, accessit ad**
Christum mater filiorum Zebedæi petens pro filiis
priora loca, ut unus sedeat ad dexteram, & alii ad
sinistram in regno tuo, Christus ad liberòs conver-
sus ait, Nescitis, quid petatis potestis bibere calicem,
quæ ego bibiturus sum: Di. ut ait, possumus, Math. 20.
n. 22. Vos pro magnâ vestrâ exaltatione petitis dex-
teram, & sinistram; nescitis, quid petatis, & qui sint
primi accubitus in regno Dei; non sunt hæc pri-
ma sedilia, & aliud his sublimius, & excelsus nem-
pe pati pro Christo, & de calice Passionis ejus
participare, quo bibito omnibus superiores, ac su-
blimiores evaderis, ejus enim haustus super omnia
extollit. D. Chrysost. homil. 8. in epist. ad Ephesios
ait, Si quis Christum diligit, hanc intelligit virtute,
agnoscit, quantum sit illud, quod humano generi
largitus est Deus nimirum largiri pro eo. Illud for-
san illustrius etiam est, quam sedere ad dexteram
ipsius, bonetius, quam sedere super duodecim thro-
nos. Et post pauca subdit, Non ita beata prædico
vincula, quod in celum destinantur ligatum, sed quod
pro cæli Domino, & inde illustriora, quam quod ca-
lorum non participes faciant.
50. **Querit Tertull. cum Job in suâ felicitate fue-**
rint omnia duplicata, quæ in persecutionis ærum-
na, jacturaque subierat, quare pariter filii non sunt
geminati; nam septem in favâ pamanis tempesta-
te amisit; septem postea acquisivit; cur ergo filii
non multiplicentur ad majorem consolationem,
ac recreationem Job, cum illi primi essent optimi
filii, & multâ charitatis unione inter se vivebant
facientes mutuo convivium, ac proinde magno il-
lorum desiderio tenebatur Job; cur ergo hi pro
magna illius felicitate non reviviscunt. Pro magna
illius felicitate non duplicantur, nec reviviscunt;
à sua tempestate exurgit Job valde sublimis, &
gloriosus, & ad tantam sublimitatem spectabat,
ut haberet exercitium patientiæ ex dolore, ac de-
siderio suorum priorum filiorum, quia nulla ma-
ior sublimitas, quam in multâ patientiâ sustinere
adversitates. Tertull. lib. de Patient. c. 14. ait, Et si
filios quoque restitui voluisset pater iterum vo-
caretur, sed maluit in illo die reddi sibi tantum
gaudii, securus c de domino distulit, sustinuit
tam voluntariam orbitatem, ne sine aliquâ patien-
tia viveret.

1. **UT autem judicatum est navigare eum in Ita-**
liam, & tradidit Paulum cum reliquis custodiis
Centurioni nomine Julio cohortis Augusta.
2. **Ascendentes navem Adrumetinam, incipientes**
navigare circa Asia loca, sustulimus, perse-
verante nobiscum Aristarcho Macedone
Thessalonicensi.
3. **Sequenti autem die devenimus Sidonem. Huma-**
ne autem tractans Iulius Paulum, permittit ad
amicos ire, & suam curam agere.
4. **Et inde cum sustulimus, subnavigavimus Cy-**
prum, propterea quod essent venti contrarii.
5. **Et Pelagus Cilicia, & Pamphilia navigantes,**
venimus Lystram, quæ est Licia.
6. **Et ibi inveniens Centurio navem Alexandrinam**
navigantem in Italian, transposuit nos in eam.
7. **Et cum multis diebus tardè navigaremus, & vix**
devenissemus contra Gnidum prohibente nos
vento, adnavigamus Creta juxta Salmonem.
8. **Et vix juxta navigantes, venimus in locum**
quendam, qui vocatur Boni Portus, cui juxta
erat civitas Thalasæ.
9. **Multo autem tempore peracto, & cum iam non**
esset tuta navigatio, eo quod jejunium jam præ-
terisset, consolabatur eos Paulus.
10. **Dicens eis, Viri, video quoniam cum injuria &**
multo damno non solum oneris, & navis, sed
etiam animarum nostrarum incipit esse navigatio.
11. **Centurio autem gubernatori, & nautico magis**
credebat quam his quæ a Paulo dicebantur.
12. **Et cum aptus portus non esset ad hiemandum,**
plurimi statuerunt consilium navigare inde, si
quomodo possent devenientes Phœniam, hiema-
mare, portum Creta respicientem ad Africam,
& ad Corum.
13. **Aspirante autem Austro, æstimantes propositum**
se tenere, cum sustulissent de Asson, legebant
Cretam.
14. **Non post multum autem misit se contra ipsam**
ventus Typhonicus, qui vocatur Euroquilo.
15. **Cumque arrepta esset navis, & non posset conari**
in ventum, data nave stationi ferbamur.
16. **In insulam autem quandam decurrentes, quæ voca-**
tur Cauda, potuimus vix obtinere Scapian.
17. **Quâ sublata ad mortis usque uenimus, accingentes**
navem, timentes ne in Syrtim inciderent, sum-
misso vase sic ferebantur.
18. **Validè autem nobis tempestate jactati, sequentis**
dici jactum fecerunt.
19. **Et tertia die suis manibus armamenta navis pro-**
jecerunt.
20. **Neque autem sol, neque sideribus apparentibus**
per plures dies, & tempestate non exigua immi-
nente, jam sublata erat spes omnis salutis nos-
træ.
21. **Et cum multa jejunatio fuisset, tunc stans Paulus**
in medio eorum, dixit, Oportebat quidem, d Viri,
audito me, non tollere à Cretâ, lucrique facere
injuriâ hanc, & jacturam.
22. **Et nunc suadeo vobis bono animo esse, amissio**
enim nullius animæ erit ex vobis, præterquam navis.
22. **Assistit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cujus**
sussum ego, & cui deservio.
24. **Dicens, Ne timeas Paule, Cafari te oportet as-**
sistere: & ecce donavit tibi Deus omnes, qui na-
vigant tecum.
25. **Propter quod bono animo estote Viri, Credo enim**
Deo, quia sic erit, quemadmodum dictum est
mihi.

26. In insulam autem quandam oportet nos devenire.
 27. Sed postquam quarta decima nox supervenit, navigantibus nobis in Adria circa mediam noctem, suspicabantur nauta apparere sibi aliquam regionem.
 28. Qui & summittentes bolidem invenerunt passus viginti: & pusillum inde separati, invenerunt passus quindecim.
 29. Timentes autem ne in aspera loca incideremus, de puppi mittentes ancoras quatuor, optabant diem fieri.
 30. Nautis vero quarentibus fugere de navi, cum misissent scapham in mare, sub obtentu quasi inciperent a prora ancoras extendere.
 31. Dixit Paulus Centurioni, & militibus, Nisi hi in navi manserint, vos salvi fieri non potestis.
 32. Tunc absiderunt milites funes scapha, & passi sunt eam excidere.
 33. Et cum lux inciperet fieri, rogabas Paulus omnes sumere cibum, dicens, Quarta decima die hodie expectantes jejuni permancetis, nihil accipientes.
 34. Propter quod rogo vos accipere cibum pro salute vestra; quia nullus vestrum capillus de capite peribit.
 35. Et cum hac dixisset, sumens panem, gratias egit Deo in conspectu omnium; & cum fregisset, cepit manducare.

36. Animaquiores autem facti omnes & ipsi sumpserunt cibum.
 37. Erant vero universa anima in navi ducenta septuaginta sex.
 38. Et satiati cibo alleviabant na vem, iactantes triticum in mare.
 39. Cum autem dies factus esset, terram non agnoscebant, sinum vero quendam considerabant habentem litus, in quem cogitabant, si possent ejicere navem.
 40. Et cum anchoras sustulissent, committebant se mari, simul laxantes juncturas gubernaculorum, & levato artemone secundum aura statum, tendebant ad litus.
 41. Et cum incidi semus ad locum disthalassum, impigerunt navem, & prora quidem fixa manebat immobilis, puppis vero solvebatur a vi maris.
 42. Militum autem consilium fuit, ut custodias occiderent, nequis cum enasset, effugeret.
 43. Centurio autem volens servare Paulum, prohibuit fieri, iussitque eos, qui possent natate, immittere se primos, & evadere, & ad terram exire.
 44. Et ceteros alios in tabulis ferebant, quosdam super ea, qua de navi erant. Et sic factum est, ut omnes anima evaderent ad terram.

A R G U M E N T U M.

Paulus deducendus Romam cum aliis vincti Centurioni traditur. Creatam appulit, imminentem tempestatem, aut naufragium: sed ab eo omnes esse liberandos prædixit, ut sibi erat revelatum

Act. 27. n. 1. Ut autem iudicatum est navigare eum in Italiam, & tradi Paulum cum aliis custodiis Centurioni Julio cohortis Augustæ.

Versiones.

PRIMA EXPOSITIO

Usque ad Vers. 8.

1. Vers. 1. **U**T autem iudicatum est à præfide Festo, ut Paulus mitteretur Romam, ad quem appellaverat, tradidit Paulum cum aliis custodiis, hic non sumitur pro custodibus, sed metonymicè pro custoditis, seu incarceratis, & sic legit Syriacus, Tradiderunt Paulum, & quosdam alios vinctos, qui mittebantur Romam cum Paulo, vel quia ad Romam appellaverunt, vel ob magna eorum crimina, Cohortis Augustæ cohortes habebant sua peculiaria nomina, per quæ agnoscebantur, & distinguebantur, sic & Cornelius dicitur Cohortis Italice cap. 10.
 2. Vers. 2. Ascendentes navem Adrumetinam. Syriac. Ex Adramanto civitate, & idem habet Glossa; quæ est urbs in Africa, ut testantur D. Hieronymus de locis, Plinius lib. 6. cap. 34. & fortè ad eandem Civitatem redibat & valde probabile est, ut existimat Cornelius ex Joppe exibat, quæ prope est Cæsaream, ubi Paulus tenebatur vinctus.
 3. Sustinimus, Pagni. Solvimus anchoras, & addit ipse Pagninus, & vela fecimus, perseverante nobiscum Aristarco Macedone, de quo supra facta est mentio cap. 20. n. 4. addit Chrysostomus, quod ibant, ut narrant omnia acta Pauli.

Vers. 3. Sequenti autem die devenimus Sidonem, quæ est urbs in Phœnicia distans à Tyro stadiis ducentis; Centurio Iulius dedit facultatem Paulo, ut iret ad suos amicos, & reficeretur de tot, & tantis laboribus.

Vers. 4. Deinde sustulimus anchoras, subnavigavimus Cyprum. D. Chrysostomus Pagninus Tygurina, iuxta Cyprum, videtur, quod non sunt ingressi Cyprum.

Vers. 5. Et Pelagus Cilicie, illius nempe mare navigavimus, venimus Iystram græca exemplaria, Syrus, D. Chrysostomus, Isidorus, Hugo, Vatabl. legunt, miran, quæ est in Lycia, cum Iystra patria rimothei.
 Vers. 6. Et ibi inveniens Centurio navem Alexandrinam euntem in Italiam, transposuit nos in eam, Syriacus; transtulit nos.

Vers. 7. Devenissemus contra Onidum, Gnidus promontorium est Asiae objectum Cretæ Salmon est urbs quæ ex Isidoro, & Plinio Salmonem, teste lib. 2. est Orientale promontorium Cretæ.

Vers. 8. Vocatur boni Portus, quam alii appellant bonum litus, & dicunt esse retentum civitatem.

QUÆSTIO I.

Quare Paulus mittitur Romam?

Ratio in promptu, quia ipse appellavit ad Cæsarem, extitit tamen alta divina dispositio, ad salutem multorum, & ad maiorem gloriam Pauli ut id, quod ejus inimici ordinabant, ad ejus interitum, inserviret ad maiorem ejus gloriam.

Valde notum, ac repetitum est illustre facinus David quod Goliath peremit, ac prostravit, ut dicitur 1. Reg. 17. n. 5. Ibat ille potentatus Gigas suo gladio

gladio armatus, ut David, ac totum Israël jugularet, tamen divino auxilio prævaluit David adversus Philistæum in fundâ, & lapide, percussitque Philistæum interfecit; Cumque gladium non haberet David in manu, cucurrit, & sterit super Philistæum, & tulit gladium, & eduxit eum de vagina sua, & interfecit eum. Valde illustre fuit, quod David fundâ, & lapide prosternebat Philistæum, sed illud maxime gloriosum, quod gladio illo, quo præcinctus incedebat ad interficiendum Israël, ipse periret, & jugularetur; & quod ipse paraverat in aliorum offensionem, verteretur in eorum defensionem, ac exaltationem. Macharius Philadelph. Episcopus. orat in exalt. Sancti. Crucis apud Grethser, sic ait, Supera gratia David munitus lapidisque jactu talem, ac tantum profert; deinde micantem contra se gladium ipse vibravit, eoque blasphemum trucidavit. Hunc in modum David Rex instrumentum, quod mortis aliquin causa erat, in Præsidium salutis, verti posse docuit, illud, quod erat Israël instrumentum mortis, extitit præsidium, & exaltatio.

Ait Christus Dominus Joan. 3. n. 14. Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, sic exaltari oportet filium hominis. Cum Israël incederet per desertum, egressi sunt venenosi serpentes, quorum pestifero morfu peribant omnes; exaltat Moyses serpentem, cuius aspectu sanabantur omnes, ut per serpentes qui inferebant mortem, verterentur in instrumentum salutis, & vitæ, quod demonstratum est, cum Christus Jesus est exaltatus in Cruce, nam Cruces, ligna, mortem, totum in remedium nostræ vitæ, ac salutis convertit, sic procedit citatus Macharius, & ait, Christus autem cunctarum rerum Rex, lignum Crucis, quod dæmon adversus naturam erexerat, per illud mundo libertatem largitus est.

QUÆSTIO II.

Quare Iulius Centurio dat facultatem Paulo cundi ad suos amicos?

13. Dicitur vers. 3. Humanè autem tractans Julius Paulum permittit ad amicos ire, & curam suscipere. Syriacus legit, misericordia usus est cum Paulo. Glossa Interl. Lyran. Hugo existimant, ut acciperet sibi, & sociis necessaria, non placet, quia cum illa navigatio facta fuisset ex dispositione Imperatoris, ab illo fuit provisum de necessariis, Carthuf. Quod pauli modestia, ac sapientia hunc favorem sibi conciliavit.

14. D. Chrysostomus ait, erat autem Paulus valde afflictus à vinculis, à metu, circumductione, nec sinit Lucas, humano more Paulum in curam cepisse, à laboribus, ab oppressionibus danda est aliquis requies, ne vires oppressæ deficiant. Devenerant Apostoli peregrinatione confecti, convenientes ad Iesum renuntiantes ei, quæ egerant & docuerant. Marc. 6. n. 30. Liber Divinus Magister audit, & approbat facta, & ait illis, Venite seorsum, & requiescite. n. 31. ut laxentur animi ad accessum rusticanae amoenitatis Existimat Theophil. hic à Christo esse insertum, Ut sciant pastores laborantes in verbo, & doctrinâ dignos esse, quibus suadetur quies, & non semper intendat laboribus, & Cajetan ait instruens Prælatos, quid agere debeant cum suis ministris.

15. Valde diversimode, cum anima sancta modo introducit cultos in vineis, Posuerunt me custodem in vineis. Cantic. 1. n. 6. modo dormiens, & non vi-

gilans cap. 2. n. 7. Ne suscitatis, neque evigilare facitis dilectum, modo ipsam vocat ad laborem Cantic. 2. n. 10. Surge, propera amica mea, & veni, modo sedens sub jucundissima, ac florida arbore, cum dulcissimis fructibus ad recreationem cantic. 2. n. 3. Sub arbore malo sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo. Ecce quomodo hic miscetur; Vigilia custodis cum somno lectulilabor itineris cum amoenissimâ quiete sub arbore; sic supremus omnium provisor omnia hæc componit, ne viros deficientes opprimantur. D. Bernard. serm. 57. in Cantic. & ait; Ut petita votis anima aliquatenus tanto ardentius redeat in id ipsum, quanto fructuosius intermisisse meminerit, & iterum sumpto contemplationis gustu, valentius ad conquiendam lucra solia alacritate recurrat.

Ait Deus per Isaiam. 45. n. 7. Ego Dominus formans lucem, & creans tenebras, quod Deus sit Auctor lucis, bene se res habet, cum à luce dispensanda cognomentum Deus capiat, sed cur noctis se Auctorem laudat dicens, creans tenebras, cum sint nihil, & mera privatio lucis, dicitur creans tenebras, effective, per tenebras sultentat, creat, & reficit vires humanas. D. Cyrill. Jerosolymit. Catechism. 9. ait, non enim accepisset à Domino servus quietem, nisi tenebra essent inducta ad hanc præscriptionem necessitatem dicit gen. 1. n. 4. Divisit lucem à tenebris. D. Chrysostomus. homil. 11. in Genes. ait, Segregavit Deus diem in opus humana natura.

Act. 27. n. 9. Multo autem tempore peracto & cum jam tuta non esset navigatio, eo quod jejunium jam præterisset, consolabatur eos Paulus.

Versiones.

SECUNDA EXPOSITIO
à Vers. 9. usque ad 13.

17. Vers. 9. **M**ulto autem tempore peracto. Syriacus Ubi egimus multum tempus, usque ad hunc diem, quo versamur in hoc periculo, & ideo subditur, cum jam tuta non esset navigatio; & jejunium jam præterisset nempe dies jejunii, qui facti fuerant in voto pro liberando depericulo, de quo questione sequenti Consolabatur eos Paulus. Arabicus, Com nonuit ut in tanta molestia confiderent in Deo & haberent animum.

Vers. 10. Viri, video non tam ex temporis conjecturis, ac pronosticiis, sed spiritu Prophetico, quoniam cum injuria, & multo damno Syriacus, Cum arumnis, & altura multa, ac si dicat, multam injuriam, & damnum inferimus non solum navi, sed etiam mercibus, ac eorum dominis mercatoribus, & etiam animabus nostris, cum manifesto periculo intendimus navigare, hiberno tempore, & hæc expositio maxime coheret cum textu.

Vers. 11. & 12. Centurio Gubernatori, ac nauticero dicentibus navigandum, quam Paulo, qui dicebat, quod ibi sisterent gradum. Vers. 12. Cum portus non esset aptus ad hiemandum, consilio inito determinarunt venire ad Phœciem; non est Phœnicia Syriæ regio, cuius caput est tyrus, & Sidō sed est urbs, & portus in Australi latere Cretæ respiciens ad Africum ventum, qui stat ab occasu Brumali ex Plinio lib. 2. cap. 47. & est ventus medius inter Austrum, & occidentem ad eorum.

Vers. 13. Aspirante autem vento Australi apto ad navigandum, cum sustulissent anchoras, & vela de A. son, quæ est urbs, & portus Cretæ ac Septentrionē, legebant Cretam, id est, præternavigant ad Cretā.

N n 4 QUÆSTIO